



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Angeli possunt se movere localiter.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40701**

NATURAE ANGELICAE. 17

γ) Angeli mali mentiri non possunt locutione proprie Angelica & mentali, (ista enim sita est in manifestatione sui conceptus, igitur talis, qualis re ipsa est;) sed tantum per signa sive materialia, sive nobis insensibilia. Sic daemones mentiuntur formando sonos in aëre, vel organis energumenorum utendo. Hi ipsi quamvis circa objecta naturalia actu existentia (exceptis arcanis cordium) fallere, & errare nequeant, cum illa videant, ut sunt in se; errori tamen obnoxii sunt in iis, quæ obscurè duntaxat cognoscunt.

*Angeli se possunt movere localiter:* Sunt enim in loco (nam sunt alicubi, & boni quidem in cœlo, 12. mali in inferno) non quidem *immensè*, hæc enim Ange- solius Dei proprietas est; nec etiam *circumscripti- lo. vè*, uti corpora, quorum singulæ partes singulis rum spatii, in quo existunt, partibus respondent; sed po- *definitivè*, quia utpote incorporei & indivisibiles tentia existunt in toto spatio toti, & toti in qualibet par- loco mote spatii; igitur de loco in locum transferri possunt. va. Hinc Angeli in Scriptura dicuntur ascendere, & descendere. Sic Dan. 3. v. 49. *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis ejus in fornacem.* Sic 3. Reg. c. 19. v. 7. *Reversusque est Angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixitque ei: surge, comede.* Sic Gen. 28. v. 12. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam.* Hic autem motus Angelorum localis quamvis celerrimus sit; non tamen instantaneus est, quia spatium, in quo moventur, divisibile est; ideoque pars a spatii priùs relinqui debet, quam pars b. ejusdem spatii occupetur; & aliunde certum est, potentiam loco motivam Angelorum finitam esse. Utrum Angelus movere Angelum localiter possit? non ita li-

quet: illud certum est, Angelum etiam invitum moveri, aut detineri in loco à Deo posse; at num ideo superior Angelus movere inferiorem queat? & si potest, nequit sanè explicari modus, quo iste motus peragatur. Videntur tamen Angeli corpora naturaliter movere posse: nam *Dan. c. 14. v. 35. Apprehendit eum (Habacuc) Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylonem supra lacum in impetu spiritus sui. Et v. 38. Angelus Domini restituit confestim in loco suo. Sic Matth. 4. v. 5. Christum assumpsit diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.* Equidem MALDONATUS in *h. l.* post Euthymium putat, à tentatore Christum pedibus ductum esse in sanctam civitatem, eo quòd parum vero simile videatur, tantum diabolo Christum erga se permisisse, ut ab eo deportaretur. Præterquam si id diabolus permitte Christo fecisset, nimium se, quis esset, prodidisset, quod ille cùm tentat, facere non consuevit, quin potius in Angelum lucis se tranfiguret. Unde etiam S. LUCAS scripsit: ἤγαγεν, *duxit.* Verùm S. HIERONYMUS cum aliis communiter existimat, Christum per aëra raptum fuisse, quod verbo παραλαμβάνειν, quo S. MATTHÆUS utitur, significari videtur. Neque est, quod longiorem itineris moram intervenisse suadeat. Si Christus passus est se tentari à diabolo, cur ab eodem portari se non permiserit, neque semper fraudes suas ita occultat dæmon, ut aliquando satis apertæ non sint. Qui verò Angelos nonnisi causas occasionales motus corporum adserunt, absque ratione sufficiente loquuntur; ideoque proprio verborum Scripturæ sensu stare fas est. Modum facile explicant, qui  
ajunt,

ajunt, Angelos se reddere impenetrabiles posse. Regula generalis est, motum omnem fieri per impetum: hic autem quo pacto imprimi corpori ab Angelo possit, tametsi evidens non sit; idcirco res ipsa negari non debet.

d) Ex his intelligitur, qua ratione daemones, Deo permittente, ciere tempestates, excitare pluvias, fulgura, & tonitrua possint; videlicet aërem validè commovendo, & eas in cumulum cogendo particulas, unde ista oriuntur. His suffragantur ea, quæ habentur in Libro *Job*, ubi c. 1. v. 12. *Dixit Dominus ad Satan: Ecce universa, quæ habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan à facie Domini. Tunc ignis Dei (magnus ignis) cecidit è cælo, & tactas oves puerosque consumpsit. Et repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domûs, quæ corruens oppressit liberos Jobi. Et c. 2. Egressus Satan à facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem ejus. Ubi in Hebræo est *Sechin*, quæ vox *ulcus* significat ex calliditate proveniens. Siquando tamen uvas recentes procurasse hiemali tempore leguntur; ex aut phantasticæ duntaxat fuerunt, vel aliunde advectæ.*

e) Daemones quoque hominem fraudibus & artibus suis reddere invisibilem possunt, illum aut celerrimè auferendo, aut radios visuales turbando, aut ipsum visûs organum sic afficiendo, ut aliud planè objectum videnti appareat. Eadem fere ratione impedire valent, quominus homo vulneretur. Quæ tamen omnia eo usque valent, quousque à Deo non prohibentur.

§. II.

*De Gratia, Merito, & Lapsu Angelorum.*

Duplex est Angelorum status, alter *naturalis*, I 3. quo in rerum spiritualium genere ordinem suum tenent; alter *supernaturalis*, & naturâ sublimior, qui gratiâ continetur, & gloriâ. Angelos sine gratiâ & justitia à Deo procreatos fuisse, & solis natura-

ræ ornamentis præditos existimat HUGO *Victori-*  
*fant.* *anus*, dum in *Summ. Sent. Tract. 2. c. 2.* scribit,  
*bonos omnes in primo creationis exordio fuisse,*  
*id est, sine vitio. Non enim Creator optimus au-*  
*tor mali esse poterat. Sed nec justè, nec injustè*  
*tunc fuerunt, nec aliquam virtutem tunc habue-*  
*runt. Qua in opinione etiam fuit PETRUS Lom-*  
*bardus, qui in 2. dist. 3. initio bonos extitisse ait*  
*Angelos, id est, sine vitio, justosque fuisse, id*  
*est innocentes, sed non justos, id est, virtutum ex-*  
*ercitium habentes. Tum addit: Poterant enim*  
*peccare, & non peccare, sed non poterant profi-*  
*cere ad meritum vitæ, nisi gratia superadderetur,*  
*quæ addita est quibusdam in confirmatione. Ea-*  
*dem & Guilielmi Parisiensis opinio fuit, dæmones*  
*sc. nunquam Dei gratiâ præditos fuisse. Alii*  
*contra & longè communiùs censent, Angelos*  
*omnes, & ipsos adeo malos, ab initio conditùs sui*  
*gratiâ & virtute præditos fuisse. Angeli simul<sup>o</sup> ut*  
*facti sunt (inquit S. AUGUSTINUS L. 12. de civ.*  
*c. 9.) ei, à quo facti sunt, amore, cum quo fa-*  
*cti sunt, adhæserunt: eoque sunt ab illorum so-*  
*cietate discreti, quòd hi in eadem voluntate bona*  
*manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt, ma-*  
*la sc. voluntate, hoc ipso, quòd à bono defecerunt.*  
*Ac nequis de amore naturali ista intelligere possit;*  
*mox addit S. Doctor: Et istam (bonam volunta-*  
*tem) quis fecerat nisi ille, qui eos cum bona volun-*  
*tate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent,*  
*creavit, simul in eis & condens naturam, & lar-*  
*giens gratiam. Nempe Angeli omnes ad beatitu-*  
*dinem supernaturalem à Deo ordinati sunt, ea le-*  
*ge, ut illam per actus supernaturales meritorios*  
 conse-